



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

28. Pater matrimonialis Iesv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**

## ELOGIVM XXVIII.

## IOSEPH

Pater matrimonialis IESV.

**P***atrem matrimonialem* illum esse dico, quem alij voce magis vsitata *Vitricum* nominant. Verùm prævaluit apud me meritò prior compellatio; tum quia causam paternitatis huius, quam itidem IOSEPHO tribuo, aptius exprimit, tum quia, hæc posterior Vitrici, communiter fastidium parit, propter eos, qui paternitatem inde excludunt. Est autem siue Vitricus, siue quod idem est, Pater matrimonialis ille, qui iure matrimonij sibi coniugem obligat, liberorum ex alio viro susceptorum matrem. Hi liberi tunc succedaneum Matris coniugem agnoscere patrem suum, salutarèque patrem, & patrem audire, ac sequi tenentur. Neque est, qui hoc negare aufit. Imò si rem potius contueamur, ob eam maximè causam transit mulier ad secunda vota, vt habeant liberi, Patrem, cui sese denuo committant, cuius ductum, consilia, imperiumque sequantur, nullo magis fræno coercendi, quàm hoc sericeo filo gratissimæ paternitatis.

Verùm, ne, quæso, insiste nimium cortici, quem tibi Vitrici nomen obtendit. Neque enim, dum IOSEPHO idem adscribo, compellans eum Matrimonialem Patrem, adiungo *MARIÆ*, virum alium, aut *IESV* alium, eumque carnalem, Patrem præstituo. Hæc enim esset impietas; imò blasphemæ

blasphemia grauiſſima in vtrumque hoc nomen. Quod equidem vel ex ſolis Evangeliftis, clarè intelligi poſſe puto. Cur enim dicerent mitti Angelum ad Virginem deſponſatam, prætermiſſo viro? Spiritum ſanctum in eam ſolam ſuperuenturum? inuentam eſſe, habentem de Spiritu ſancto? à IOSEPHO accipiendam tractandamque vt coniugem, eſſe? Ipſum IOSEPHVM putatum fuiſſe patrem IESV?

Sed hæc ſupponere malo, quàm vltèrius probare, vt ad id, quod in præſens agitur, rectè pertingam. Agitur autem de IOSEPHO Patre matrimoniali IESV; quem hoc nomine inſigniri debere iam olim agnouit Epiph. hæref. 79. & Gerson confiſid. 4. Serm. de Natiuit. Quò etiam faciunt complures Rationes allatæ ſupra; quibus nunc ſubiungo iſtas.

1. Si mater ſuſcipiat prolem ex damnato quolibet thoro, adhuc vir ille, qui huiusmodi matris coniunx fieri ſuſtinet, ſimul fit pater eiufdem prolis iure matrimonij. Ergo multò magis iure matrimonij fit coniunx matris, vnàque pater prolis, ab ea, nullâ ſuâ culpâ ſuſceptæ. Quid ſi autem talis mater non ſolùm ſine culpâ, ſed etiam cum publicæ vtilitatis incremento, Deique ſingulari imperio adaçta, eam prolem ſuſcepiffet, annon adhuc promptiùs paternitatem talem ſuperueniens coniunx admittat? At eſt poſtremo hoc modo à MARIA Virgine IESVS Deus-homo ſuſceptus; vt ipſe IOSEPH ex Angelo diuinitus didicit. Eſt ergo eiufdem IESV matrimonialis Pater.

2. Si

2. Si IOSEPH nollet esse matrimonialis Pater, IESVS non esset filius matrimonialis. At hoc sine scelere quis dicere potest? Si enim recte assequor Ecclesiasticos Canones, non solum ille irregularis est, qui re ipsa laborat natalium defectu, sed etiam qui laborare hinc & nunc propter urgentes causas, ex vulgata opinione hominum, eo defectu præsumitur. Ergo IOSEPH non potest non velle esse Pater matrimonialis IESV.

3. Paternitas hæc est dignitas non solum in se maxima, sed etiam æterna & indefectibilis. Correspondet enim maternitati Dei, quæ ipsa teste Suar. Disp. 12. in q. 35. art. 5. talis est. Sicut enim ad hanc sufficit ut sit fundamentum & terminus, præcedatque ratio fundandi, ut cuius verum sit dicere, quod genuerit mulier, ita præter fundamentum & terminum ad paternitatem illam plus non requiritur, quam ratio fundandi, quod IOSEPHVS fuerit maritus siue vir MARIE, de qua natus est IESVS. At nihil horum perire unquam potest. Est ergo etiam paternitas hæc ijs positis æmanentibus iugiter resultans in IOSEPHO, intrinseca etiam, & indefectibilis, saltem ex hypothesi; eamque inter prima eius decora merito colloco.

